



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 57. Concilium Salisburgense.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

bus & doctis in orbe viris. Tum author <sup>Sæcul. XIII.</sup>  
 priorem Deuteronomii locum repetit, qua- <sup>A C. 1281.</sup>  
 si hoc, quod hic dicitur de Judice Israë- <sup>c. 17. v. 12.</sup>  
 lis, non nisi Papæ applicari posset. Post-  
 hæc adducit auctoritatem Imperatoris  
 Constantini, nempe probabiliter legem  
 ei adscriptam, cujus alibi mentionem  
 feci: affert exemplum veterum Angliæ <sup>Sup. lib. 46.</sup>  
 Regum, & causam S. Thomæ Cantua- <sup>§ 8.</sup>  
 riensis: finitque adhortando Regem ad <sup>Sup. §. 9.</sup>  
 conservandas Ecclesiæ immunitates, pre-  
 candoque Deum, ut illi mala suggeren-  
 tes consilia temporalibus pœnis afficiat,  
 ut salvæ sint eorum animæ. Dabat 2  
 Nov. 1281.

§. LVII.

*Concilium Salisburgense.*

Eodem anno Fridericus Archiepiscopus <sup>to. II. Conc.</sup>  
 Salisburgensis ac Sedis apostolicæ <sup>p. 1151.</sup>  
 Legatus concilium provinciale habuit  
 cum septem Suffraganeis suis, nimirum  
 Episcopis Frisingensi, Ratisbonensi, Pas-  
 savienti, Brixinensi, Chiemensi, Secovien-  
 si, & Lavantino: fecitque decretum se-  
 ptendecim puncta continens, quorum  
 pleraque ad varios Regularium errores  
 coercendos spectabant. Multi Antisti- <sup>c. 1.</sup>  
 tes bona cœnobiolorum vendebant, vel ad  
 longum tempus elocabant sine permisso  
 Episcopi, & absque consensu congrega-  
 tionis;

Sæcul XIII.  
A. C. 1281.

c. 2.

c. 3.

c. 4.

c. 5.

c. 6.

c. 7.

c. 9.

Chr. Salisb.  
an. 1281.

tionis; nec proventuum rationem reddebant. Monachi non observabant jejunia per regulam S. Benedicti præcepta: privatos rerum dominos agebant, seu proprietarios, ut vocant: nec gestabant vestem suam. Multi huc illuc vagabantur; & Præsules nolebant eos recipere. Non celebrabant conventus tertio quoque anno secundum sanctionem Papæ Gregorii IX. Quædam Virgines Dæ sacræ in privatis cubiculis suis capiebant cibum: & Abbatissæ non comedebant in coenaculo, nec in dormitorio cubabant. Præsules, seu præfecti cœnobii quarundam dicecesium, præsertim Passaviensis, non comparebant hoc in concilio. Quapropter Archiepiscopus eos a functionibus muneris ad tempus abstinere jussurus erat. Sed rogantibus Suffraganeis ac de consilio collegii sui executionem sententiæ suæ omisit.

§. LVIII.

*Henricus Bremius Archiepiscopus  
Gnesnensis.*

Sup.  
Bulla to. 2.  
Vading.  
regist. p. 153.  
Id an. 1281.  
n. 7.

Metropolitana sedes Gnesnensis in Polonia vacabat etiamnum a morte Fratris Martini Poloni. Legatus Philippus Firmiensis ob commissum sibi a Nicolao III negotium Vostliberium Canonicum, quem Collegæ sui Archiepiscopum coopta-